





DISPVTATIO PHILOSOPHICA,  
INAUGURALIS,

D E

E L E M E N T I S.

P A R S O C T A V A.

Q V A M,

Præside Deo Opt. Max.

*Ex auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

D. JACOBI GOLII, L. A. M. Matheſeos ac  
Arabicæ Linguae in celeberrimâ Academiâ Lugd.  
Batavâ Professoris celeberrimi,

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academicci consensu, & Venerande  
Philosophicae Facultatis decreto,*

Pro Liberalium Artium Magisterio & Philosophiae  
Doctoratu,

*Publico examini subjicit*

I S R A E L W I N N E S E E L, Lugd. Bat.

*Ad diem 24 Iunii, loco horisque solitis ante meridiem.*



L V G D V N I B A T A V O R U M,  
Apud Viduam & Hæredes JOHANNIS ELSEVIRII,  
Academiæ Typograph.

c d i c l x v .

236

B2

*Clarissimis, Doctissimisque  
Trium-viris,*

D. JACOBO GOLIO, p.t.  
Rectori Magnifico, Mathesios  
& Arabicæ Linguæ.

D. HENRICO BORNIO,  
Celsissimi Principis Arausio-  
nenſium Ephoro, Ethices &  
Politices.

D. JOHANNI de RAEI, M.D.  
Physices.

Philosophiæ Professoribus Ordinariis, in  
Academia Lugduno Batava celeberrimis.

*Hanc Disputationem inauguralemente  
Elementis Octavam,*

L. M. Q. D. D. D.

ISRAEL WINNESEEL,

*Author & Respond.*

DISPUTATIO PHILOSOPHICA  
INAUGURALIS,

DE

ELEMENTIS.

OCTAVA & ULTIMA.

DETERRA.

THEISIS I.



iscors profecto concordia est teste Seneca lib.  
3. Nat. cap. 15. inter hominem & terram: hæc  
enim adumbratam in se miris modis gerit  
corporis humani effigiem. Illa (non secus ac  
corpus humanum) venis ac arteriis abundat,  
vix profecto (nisi hominem omnium crea-  
turarum præstantissimam esse fixum cer-  
tumque esset) scias, utrum homo terram an  
autem terra hominem repræsentet. Hæc igitur cum sedes & do-  
micum à primo immoto motore homini assignata sit, operæ pre-  
mium erit, si ullius rei, saltem hujus, rudem aliquam cognitionem  
habeamus. Quid enim indignius quam patrii regni indignos  
hæredes esse? ubi & ipse homo solus cæterarum creaturarum mo-  
narcha tanquam in natali solo imperium in cætera animantia  
exercet.

II.

Quoniam ordo nostræ methodi postulet, ut observemus ea  
quæ in nomine occurrunt, & præcipue quidem ea quæ aliquam  
ambiguitatem & æquivocationem afferre possunt, attamen in hac  
materia huic rei à nobis supersedetur, nulla enim evidens necessi-  
tas nos urget, quo magis nomini immoremur: nō terra enim  
simplex & sine ulla æquivocatione verbum est, nisi quod subinde  
ab idiotis sumatur pro tota illa massa ex terrâ & aqua coagmen-  
tata, Philosophis tamen pro sola terra elementari passim usurpatur.

A 2

III. Cum

Cum itaque procedamus via resolutionis, requiritur ut in re primo consideremus definitionem, quæ rei essentiam explicat attributis quibusdam essentialibus si essentia ignota sit. Definitur itaque vel potius describitur (cum omnis definitio imperfecta descriptionis nomine à Philosophis insigniatur) Elementum siccissimum, frigidum & gravissimum. Genus est Elementum. 1. Quia de pluribus sc: elementis: puta Igne, Aëre, Aqua, prædicatur in quid, essentialiter, ut pars, quia incompletæ. 2. Quia est corpus simplex ex quo fit mixtum & in quod resolvitur, non quidem resolutione ultima (illa enim fit in materiam & formam) sed ultimam immediate præcedente. Objectionem tamen hanc facile quis moveat terram non esse elementum, quia non est corpus simplex, illa enim cum frigida & sicca dicatur generationi apta non esset, quum absque humiditate consistere non possit, imo nonnulli nominatim Thales Milesius & ejus sequaces solam aquam generationi aptam voluere propter vim suam humectandi, quin & videmus terram pluviis & solis radiis destitutam nihil producere & generate, ex quibus inferre liquido licet terram omnis mixtionis plane expertem non esse. Dupliciter ad argumentum allatum respondemus. 1. Si argumentum illud ad totum terræ elementum sese extendat, falsissimum erit, cum terra in centro suo pura sit, non enim vis aquæ eosque deferri potest, nec etiam aliorum elementorum qualitates. 2. Aliud est considerare rem secundum essentiam, aliud secundum existentiam: priori modo tota pura est, posteriori vero impura, cuius rei ratus est, universi ordinis bonum: causa vero, motus elementorum inter se actio & reactio. Hactenus de genere terræ, sequitur differentia, quæ in eo consistit quod sit siccissima, frigida & gravissima. Magna tamen & anceps disputatio semper inter Philosophos habita fuit utrum terræ siccitas in gradu intensissimo attribuenda sit? in qua sententia Aristoteles omnésque Peripatetici fuere. Alii tamen minus veritati conformiter philosophantes ei summam frigiditatem attribuere, alii vero ignem siccissimum voluere, qui hoc potissimum arguento concertabant, putantes illud esse maxime siccum quod maxime exsiccat, ignis vero maxime exsiccat. Resp. hanc actionem igni non attribui propter siccitatem sed propter calorem, qui particulæ corporum obscurorum humidiores resolvit & segregat à siccioribus, illæ enim heterogeneæ sunt, caloris

vero

vero munia sunt congregare partes homogeneas & disgregare heterogeneas. Illi vero qui terræ summam frigiditatem inesse statuebant, hoc utebantur argumento, quod terra cum sit elementum gravissimum, insimum locum obtineat, ac per consequens maximam inter eam & cœlum distantiam esse, quæ (cum cœlum calor in mundo sublunari fons sit) frigiditatis causa esset. Respondeo procedere argumentum si cœlum causa esset omnis calor sublunar, atque hoc absurdum, unde enim calor ignis & aëris nisi à formis à quibus producitur. Restat igitur ut cum Aristotele terræ summam siccitatem attribuamus, hæc enim facile proprio difficile vero alieno termino continetur.

IV.

Terra cum unica sit in plures species dividi non potest nisi velimus eum Manicheis octo terras fingere; cui sententia experientia reclamat, docuit enim eos qui terram circumvagaverunt unam nullo vero modo à se ipsa divisam, sed maribus & fluvibus quoad partes distinctam esse: quin idem ratio concludit, unam enim eandemque gravium naturam philosophi statuant, adeoque unum eundemque eorum specie motum, omnia igitur gravia, ad hanc, vauum & commune horum omnium centrum, fetuntur, si vero plures essent terræ juxta Manichæos unum esset divisum à se, nam gravius natura una est, divisa item esset pro multitudine terrarum, ut itaque unum non potest esse divisum à se, sic nec plures terræ esse possunt, sc. manente eadem gravium naturâ. Ab antiquis terra ratione partium divisa fuit in tres partes sc. Europam, Asiam, & Africam; quarta autem pars illis ignota fuit, quæ vulgo America ab ejus inventore dicitur. Alii item in tres item partes divisere; ita ut prima pars Europam, Asiam, Africam, secunda novum orbem, tercia terram Magellanicam contineat: vulgariter tamen Geographi in Europam, Asiam, Africam & Americam dividere solent, harum perfectam cognitionem tradere ex professo Geographorum est: Physici eam dividere solent in duas regiones, quarum prima finit in eo terræ loco ubi radii terram ingressi sistuntur, cum itaque radii subinde magis, cum sol est in puncto verticali, subinde minus, cum maxime ab eo distat, immittuntur, etiam hanc regionem majorem efficiunt, secunda ceterum spatum occupat.

## V.

Cause ejus interna, duæ sunt, Materia & forma, externe, tres, Efficiens, Finis & Exemplar, causa itaque ejus efficiens prima, principalis, libera, procreans, conservans, manifesta, solitaria, Deus est, Secunda nulla sc. totius, partium aliorum elementorum in eam mutatio: Materia ex qua, praecipiens, nulla, subjacent, prima, forma essentialis, naturalis physica, ignota quæ sit, nota quod sit; metaphysica, genus & differentia; exemplaris, idea in mente divina; Finis ultimus, idem qui cæterorum elementorum, medium, præbere hospitium mineralium, metallorum; plantarum & animalium.

## VI.

Affectiones ejus commode considerari possunt ratione prædicamentorum, inter quæ sc: ea quæ accidentia sunt, primo occurrit quantitas, quæ cum duplex sit continua & discreta, affectiones ejus ratione utriusque considerare oportet. Ratione igitur quantitatis discretæ, unitas, ut thesi & probavimus: Continuæ finitas, absolute si consideretur ambitus terræ continet secundum Aristotelem 400000. stadia, secundum Erasthenem & Macrobius 252000, Hipparchum 277000, Ptolomeum 180000, Alphrangum 163200, secundum recentiores 152640. Relate vero ad cœlum, puncti instar esse intelligitur, non quidem mathematici, illud enim extensionem nullam habet, sed physici, si minus supra terram cœlum in æqualia duo segmenta divisum esse nobis non appareret, idem & confirmant stellæ tum fixæ tum erraticæ, quarum superiores terrâ majores esse statuuntur, ut *Saturnus* nonages & semel, *Jupiter* quinquies & fere semisse, *Mars* semel cum una tertia, *Sol* centies sexagesies & sexies, item & omnes stellæ fixæ 1.2.3.4.5.6. magnitudinis; hinc igitur argumentum invictum struitur, si planetæ superiores & stellæ fixæ comparatè ad cœlum instar punctorum sese habeant, quanto magis terra his multo minor ratione puncti se habebit.

## VII.

Qualitates primæ siccitas in summo, frigus in remissò gradu: secundæ. 1. Raritas, quia radii solares per interstitia penetrant, minor tamen quam cæterorum elementorum, quæ, cum majorem cum densitate affinitatem habet, densitas dicitur. 2. Gravitas, quia extra locum suum naturalem deorsum fertur, in loco vero naturali nec gravitat nec levitat, nec etiam quo ulterius feratur naturaliter ha-

habet, quaquaversum enim moveretur semper ascenderet, quia à centro recederet, & ad cœli superficiem appropinquaret. 3. *Durities*, quia partes densas & compactas habet. 4. *Crasities*, quia partes solidas habet. 5. *Ariditas*, quia in se humoris est expers. 6. *Asperitas*, quia partes habet prominentes. Item ratione sensuum externorum. 1. Ratione *auditus*, sonus. 2. Ratione *visus*, nullæ, cum non sit colorata, lucida, sed opaca. 3. *Odoris*, nullæ. 4. *Gustus*, nullæ. *Tactus*, qualitates tactiles supra allatæ. Nulla tamen de qualitatibus terræ major quæstio inter antiquos fuit quam de ejus figurâ; *Anaximenes*, *Empedocles*, *Democritus* & *Heraclitus* οὐαφοεῖδις i.e. in modum scaphæ excavatam voluere, *Leucippus* τύμπανοδιλω i.e. cylindri figuræ similem: alii cubicam; alii quadrangularem, alii pyramidalem, verè tamen à sanioribus statuitur sphærica, ut docent ortus & occasus syderum, eclipses & navigationes.

#### VIII.

Relationes totius terræ variæ. 1. Ad omnia cœlestia, & cætera sublunaria. 2. Partium ad se invicem, quarum *Europa* relata ad cæteras minima, *Africa* minor *Asia* & *America*, hæc autem omnium maxima.

#### IX.

Actiones ejus sunt. 1. *generales* quas cum cæteris elementis communes: 2. *speciales*, quas sibi proprias habet 1. Temperare aquæ humiditatem. 2. Reddere corpora durabiliora ad inscriptas figuræ retinendas.

#### X.

Passiones variæ illi assignantur pro varietate sectarum, inter quas nonnulli præcipuam statuunt motum quo circa Solem moverut ut *Novus author*. *Niceas Syracusius* terram summa velocitate volvi existimavit. *Thales* more navigi aquis innatare. *Philolaus* in obliquo circulo instar Solis ac Lunæ in gyrum moveri. *Heraclides* citca proprium centrum verti. *Democritus* à prima origine oberrasse propter exiguitatem, verum tandem condensatam, gravem & immotam constitisse: alii vero terræ quiete attribuunt. Quæ quæstiones cum hodiernis temporibus maxime sunt agitatæ paucis examinandæ sunt. Ad primam igitur quod attinet hisce argumentis solide refutari potest. 1. Omnis motus qui corporibus inest vel est naturalis vel violentus, omnis enim vel à principio intrinseco vel extrinseco est, si naturalis, circa solem in gyrum non mo-

vere.

veretur, sed semper deorsum descenderet, si violentus, ruet inconcussæ veritatis axioma, nullum violentum est durabile. 2. Si terra moveatur qui fieri potest ut lapis sursum motus in eundem locum incidat. 3. A testimonio omnium fere mortalium, qui solis motum terræ vero quietem statuunt. 4. A testimonionio divino. Psalm. 74. firmavi columnas ejus: item. 103. fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in sæculum sæculi. Paralip. cap. 16. Deus fundavit orbem immobilem. Ad Peripateticorum sententiam quod atinet, sensui, rationi & scripturæ conformis est, sensui quidem, quia nullus ejus motum advertit, sed contrarium, rationi. i. Quia elementa in suis locis naturalibus quiescent. 2. Quia gravis, ideoque locum obtinet à cœlo remotissimum. Hæc item reæ terræ immobilitatis causa statuitur: Democritus & Anaxagoras causam ejus esse statuunt terræ latam figuram, cum tamen sit rotunda. Xenophanes quia infinitum immobile esse scivit, terram ex altera parte in infinitum porrigi statuebat, quem tamen infinitum corpus actu non detur. Anaximander & Milesius hanc rationem dedere, quod ad extremas & omnes mundi oras æque se habeant: quod cum Peripateticis convenit. Quamvis immotam, attamen non immobilem esse putamus, quin subinde motum aliquem, quem commode motum trepidationis dixerit, patitur, ortum quidem ab exhalationibus siccis in terræ cavernis & hiatibus inclusis, quæ propter copiam & multitudinem exitum querentes, tandemque invenientes, terram concutiunt motumque excitant, quin non solum tales exhalationes in ea continentur, sed etiam maria & fluvii, ut in quibusdam fluviosis patet, qui ex montibus & aliis terræ locis cum impetu ruunt. Alterationes item patitur quia in ea motus ad intensiores, remissiores vel alias qualitates datur, corruptionem quia constat forma dissolubiliter unita. Vbi, mundi centrū: quia gravissima est. Quando, primus creationis dies.

## COROLLARIA.

- |  |  |
|--|--|
| <b>Logic.</b> <ul style="list-style-type: none"> <li>1. Objectum Logice sunt actiones mentis.</li> <li>2. Numerus categoriarum est arbitrarius.</li> <li>3. Datur quarta figura.</li> <li>4. Methodus est quarta pars logicae.</li> </ul> <b>Ethic.</b> <ul style="list-style-type: none"> <li>1. Virtutes inter se connexae sunt.</li> <li>2. Perfecta in hac vita non datur.</li> <li>3. Quinq; datur habitus intellectuales.</li> </ul> <b>Physi.</b> <ul style="list-style-type: none"> <li>1. Principia peripatetica defendimus.</li> <li>2. Motus terminatur ad quatuor categorias.</li> <li>3. Sensus internus unus est.</li> </ul> | <b>Metap.</b> <ul style="list-style-type: none"> <li>1. Contingentium non datur determinata veritas.</li> <li>2. Falsitas Metaphysica non datur.</li> <li>3. Modi essentialiter à substantia &amp; accidente non differunt.</li> </ul> <b>Math.</b> <ul style="list-style-type: none"> <li>1. Strictè loquendo eclipsis in sole non datur.</li> <li>2. Plus datur luminis in luna cum non appareat, quam cum tota fulget.</li> <li>3. Ratio in tribus terminis ad minimum consistit.</li> <li>4. Proprio rationum similitudo est.</li> </ul> |
|--|--|

F I N I S.



